AUGUSTINUS. HUGO DE SANCTO VICTORE
12. Jh. Seite 10v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26328
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Relinquitur ergo homo ut hec pena iusta de dampnatione hominis
ueniat. Et alio loco. approbare in qua falsa pueris ut erret
inuitus et resistente ac torquente dolore carnalis uinculi
non posse a libidinosis operibus temperare. non est natura instituti
hominis sed pena dampnati. Cum autem de illa uoluntate
recte faciendi loquimur. de illa scilicet in qua homo factus est loquimur.
Ecce quam longe ante quam pelagiana heresis extitisset sic
disputauimus. uelut iam contra illos disputaremus. Cum et omnia bona
dicerentur ex deo. idem et magna et media et minima. in medius
quidem bonis inuenitur liberum uoluntatis arbitrium. quia et
male illo uti possumus. sed tamen tale est ut sine illo recte
uiuere nequeamus. Bonus autem usus eius iam uirtus est. quia in magnis
reperitur bonis. quibus male uti nullus potest. Et quia omnia bona
sicut et dictum est et magna et media et minima. ex deo sunt sequitur
ut ex deo sit bonus usus libere uoluntatis qui uirtus est. et in mag
nis numeratur bonis. Deinde dictum est ex qua miseria pec
cantibus iustissime inflicta liberet dei gratia. quia sponte homo.
idem libero arbitrio cadere potuit non etiam surgere. Ad quam
miseriam iuste dampnationis pertinet ignorantia et diffi
cultas. quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis sue.
Nec ab isto malo quisquam nisi gratia dei liberatur. Quam bene miseriam
pelagiani nolunt ex iusta dampnatione ale utrum descendere
negantes originale peccatum. Quamuis ignorantia et dif
ficultas ut etiam si hominis essent primordia naturalia.
nec sic bona culpandus sed laudandus deus esset. sicut in eodem
libro tercio disputauimus. Que disputatio contra mani
cheos habenda est qui non accipiunt scripturas sanctas ueteris
instrumenti. in quibus originale peccatum narratur. Et quicquid
inde in literis apostolicis legitur detestabili impudentia im
missum fuisse contendunt a corruptoribus scripturarum